



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

Titvlvs XL. De Iis, Qvæ Vi, Metvsve Causa Fivnt.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

TITVLVS XL.  
DE IIS, QVÆ VI, METVSVE  
CAVSA FIVNT,

**I**N hoc, & seq. titulo agitur de Prætorij remedij, per quæ læsis in contractu, aut quasi contractu per metum, seu vim iniustam, aut ob ætatem vel similem causam, subuenitur per in integrum restitutionem; non iuris civilis rigore spectato, sed propter æquitatem.

S V M M A R I V M.

1. *Metum passo in contractibus, vel similibus actibus non datur propriè dicta actio, sed ei succurritur per officium iudicis.*
2. *Vt ei detur restitutio in integrum, duo requiruntur, vt scilicet, metus sit grauis, seu cadens in virum constantem, & vt, qui vim passus est, damnum inde acceperit.*

**P**RO hac specie restitutionis in integrum, duo ab initio annotanda esse putauit: Primum. Tametsi metum passo in contractibus, vel similibus actibus, propriè dicta actio non competat; cum propriè dictum ius suum non prosequatur: sed potius Iudicis officium hic interuenit, quod & imploratur, vt læsis subueniat; nihilominus à Iurecons. frequenter actio *quod metus causa* vocatur; quia re ipsa parum interest inter actionem, & officij Iudicis implorationem, si illud Iudex exhibere teneatur, sicut inter alios annotauit Ioan. Mauritius tract. de in integr. restit. cap. 11.

**2** Alterum: Vt ex causa metus restitutio in integrum concedatur; duo potissimum requiri: I. Vt metus grauis sit, seu cadens in virum constantem; non autem leuis, seu vani hominis motus, l. metum, 5. & 6. ff.

hoc tit. II. Vt qui vim passus est, damnum inde acceperit, l. sed & 5. Quæri, ff. eod. vbi Iulianus respondet, Eum, qui debitori suo vim adhibuit, vt solueret, hac actione seu edicto, *Quod metus causa*, non teneri; quia damnum non intulit: attamen in legem Iuliam de vi incidisse, vt debitum suum amittit se iudicandus sit. Ratio reddi debet: Quia per hanc actionem petitur restitutio in integrum: hæc autem læsionem supponit, iuxta definitionem Gl. in c. 3. ver. contra reliquam, de in integrum restituit: *Restituere in integrum est reducere ad eum statum, in quo erat ante læsionem.*

CAPITVLVM I.

Relatum.

PARAPHRASIS.

Vir nobilis ac potens cum uxorem de adulterio suspectam haberet, iussit militibus suis, vt eam in siluam educerent, & occiderent: Illi parentes mandato, cum iam gladium euaginassent, misericordià moti pepercerunt eidem, hac conditione, vt in Monasterio habitum susciperet. Postea maritus duos Episcopos misit, vt uxori in Monasterio votum Professionis imponerent: sed cum res ipsas suspecta esset, eò quod mulierem iuuenem esse, & filium paruulum habere viderent, seorsim ductam illam examinarunt. Quæ rem ipsis aperuit, quod mortis timore Monasterium ingressa esset, & inde exire vellet, si posset. Nihilominus alter Episcoporum, vt mariti tyrannidi satisfaceret, velum ei imposuit, simulans se eam professam facere.

ere. Sed postea marito mortuo, dicta mulier ex Monasterio egressa alteri viro nupsit: quos coniuges, tanquam malè copulatos, Episcopus Calaguritanus ad instantiam Monialium, excommunicauit. His intellectis, mandat Alexander III. quibusdam à se delegatis; vt dictam mulierem ac virum eius (recepto priùs iuramento, quòd mandatis ipsorum parere velint) ab excommunicatione absoluant; deinde vocatis ad se tam muliere, quàm Priorissa & Monialibus, si probatum fuerit, quòd mulier illa non timore mortis Religionem susceperit; aut, si mortis timore factum, quòd professionem postea ratam habuerit, eam ad Monasterium redire, & habitum Religiosum iterum assumere, censurà ecclesiasticà compellant.

## SUMMARIUM.

1. Excommunicatos ab inferiore Prælato, si dubium est de iustitia excommunicationis, absolui potest & debet à Superiore, exacto tamen iuramento, quòd mandatis ecclesie parere velit.
2. Professio religiosa facta ex metu graui & iniuste incusso, ipsi iure ecclesiastico est irrita.
3. Quæ tamen, etsi ob defectum consensûs voluntarij irrita fuerit, per subsequentem ratificationem conualefcit.
4. Afferens factam ex metu professionem, metum probare tenetur.
5. Ad ratificationem autem equè atq; ad professionem requiritur voluntarium plenum, vt proinde durante metu rata haberi possit professio.

**NOTANDVM I.** Excommunicatos ab inferiore Prælato, si dubium sit de iustitia excommunicationis, Superior absoluere potest, ac debet, exacto iuramento, quòd mandatis suis, seu mandatis Ecclesie parere velint. Ita notat Imola hic n. 9.

**NOTANDVM II.** Matrimonium spirituale, seu professio religiosa perinde ac matrimonium carnale, si ex metu graui & iniuste incusso contractum sit, ipso iure Ecclesiastico irritum est, vti ex hoc textu colligi-

tur, & ex c. vlt. Qui Clerici, vel Monachi, & dixi lib. 3. tr. 4. c. 6. n. 3. ver. Tertio, & lib. 4. tr. 5. c. 5. n. 6. & seqq. vbi hanc rem plenè tractaui.

**NOTANDVM III.** Professio religiosa, etsi ob defectum consensûs voluntarij irrita fuerit, tamen per subsequentem ratificationem expressam, aut tacitam (quæ v. g. fit habitum religiosum gestando) conualefcit, arg. c. cum virum, 22. de Regular. Vide quæ dixi cit. c. 6. n. 1. & 8.

**QVÆRES primò:** Cur in textu dicatur, quòd Episcopus ille simularit se velum (intellige professionis) mulieri imponere. Respondeo; Quia cum protestationem mulieris audiret, quòd vi mortis ad religiosum habitum, & institutum suscipiendum adigeretur, alioquin nequaquam susceptura, sed egressura, facilè intellexit eius professionem irritam esse; & tamen vt Nobili viro satisfaceret, quasi professionem facienti velum imposuit.

**QVÆRES secundò:** Cuiam parti in tali casu probatio imponenda sit; Num mulieri asserenti se graui metu adactam ad professionem: an verò Abbatisse & Conuentui, illam sibi repetenti ac vindicanti, vt probent coactionem non interuenisse, seu spontaneam professionem fuisse? Respond. Si constet, vel mulier fateatur factum, videl. professam se esse, aut habitum professionis suscepisse, tum præsumptio est contra illam; vt proinde oppositam exceptionem metu illati probare teneatur, argum. l. non est, 33. ff. hoc tit.

Neque verò id in textu nostro negatur; quin potius supponitur, inquisitionem factam, aut faciendam esse de narratis, num vera sint; quòd videl. mulier coram Episcopis, mortis compulsionem narrando contra velum professionis protestata fuerit; item quòd dum maritus viuebat, ob atrocitatem eius, contra professionem reclamare, & Monasterio egredi ausa non fuerit. Hoc casu cum probationes, seu præsumptiones pro muliere adessent, rectè Pontifex respondit; Eam ad Religiosum habitum assumendum compellendam non esse, nisi Moniales o-

stenderint, quod professionem sponte fecerit, (iuxta ea quæ in simili dixi c. super eo, 6. de renunt.) aut quod metu cogente factans, eo postea cessante, ratam habuerit.

5. Nota quod dico; Eo postea cessante: Quia dum metus durat, non potest aliquis ratam habere professionem. Cum ad ratificationem professionis non minus requiratur voluntarium plenum, quam ad ipsam professionem. Et quæ hinc dicta sunt de professione religiosa, similiter locum habent in matrimonio carnali, iuxta c. cum virum, 12. de Regularibus.

## CAPITVLVM II.

## Abbas.

## PARAPHRASIS.

Remigio Clerico Abbas S. Cadmundi Ecclesiam contulit: Sed postea milites suos misit, qui illum domo expellerent cum omni substantia sua, nisi Ecclesiam iuratus resignaret. Quod eum Remigius tali modo coactus fecisset, Abbas dictam Ecclesiam alteri concessit. Hac re intellecta, Alexander III. mandat, ut Remigio omnia integrè restituantur: Quia quæ metu, aut vi iniusta fiunt, de iure in irritum reuocari debent.

## SUMMARIVM.

1. Metus mortis, amissionis bonorum seu omnium, seu magna partis censei debet iustus, grauis & cadens in virum constantem.
2. Pacta, contractus, transactiones, quæ ex metu fiunt, ipso iure valida sunt, rescindi autem debent actione Quod metus causa &c. per restitutionem in integrum.
3. Repetere potest, qui graui metu adactus aliquid dedit; & si nondum dedit, repellere potest metum inferentem per exceptionem. Quod metus causa &c.
4. Per vim cogens alterum ad donandum, rei donata acquirat dominium, sed ante iudicis sententiam tenetur in conscientia donatori rescire damnum. Si au-

tem cogat ad donandum aliquid tertie persone, tunc vim passus actionem habet vnã aduersus vim inferentem; & eius heredes; alteram aduersus donarium, qui tamen in foro conscientie, si iniusta coactionis particeps non fuit, ad nullam restitutionem tenetur.

5. Actio Quod metus causa pœnalis, unde non nisi intra annum, eumque vilem competit, ita vt si intra eum non matura fiat restitutio, vim inferens in quadruplum sit condemnandus; alio tantum in simplum.
6. Matrimonium, sponsalia, professio religiosa, Electio Summi Pontificis, iniurdictio per vim iniustam impetrata, absolutio à censura, infirmantur iure speciali ecclesiastico, aut civili, per vim aut metum grauem iniuste incussum, sicut vt ab initio nullius roboris sint.

NOTANDVM I. Non tantum mortis metus, sed etiam amissionis bonorum, seu omnium, seu magna partis, censei debet iustus, grauis, & cadens in virum constantem. Ita Ioann. Andr. n. 2. & alij communiter. Vide quæ dixi lib. 1. Theol. mor. tr. 2. c. 6. n. 5. §. Porro.

NOTANDVM II. Pacta, contractus, & transactiones, quæ ex graui, & iniuste illato metu fiunt, ipso iure valida sunt; sed actione Quod metus causa &c. per restitutionem in integrum rescindi debent. Ita Gl. hic ver. coactus, Imola n. 7. Abb. n. 5. Gl. magna in c. vn. eod. tit. in 6. & docui cit. tr. 2. c. 6. n. 7. & 8. & lib. 3. Th. mor. tr. 4. c. 6. n. 2. Ratio prioris partis est: Quia pactiones, transactiones, renuntiationes perficiuntur mutuo voluntario consensu. l. 1. ff. de pactis. Metus autem, absolute loquendo, consensum voluntarium non tollit; sed tantum secundum quid; quia admittet voluntarium conditionatum: quandoquidem qui metu agit, id nollet agere, si metus abesset, sicut docet S. Th. l. 2. q. 6. a. 6. & Paulus IC. in l. si mulier, 21. §. Si metu, ff. Quod metus causa. Posterior verò pars constat ex eod. tit. l. 1. & seqq. Ratio peti debet ex æquitate, secundum

dum quam graui metu adactis, ac læsis, si actionem Quod metus causa intentarent, succurrendum esse Prætor iudicauit per in integrum restitutionem; videl. vt quæ per eiusmodi metum acta sunt, perinde rescindantur, ac si ab initio irrita fuissent, vt ex hoc c. colligitur. Quare Gl. ait in c. auditis, 3. ver. contra reliquam, tit. seq. Quod in integrum restituere aliud non sit, quam reducere ad eum statum, in quo erat ante læsionem.

Corollarium I. Si quis graui metu adactus ad contrahendum, aliquid dedit, repetere illud potest, petendo coram Iudice restitutionem in integrum actione Quod metus causa: Sin autem nondum dedit, tum illum, quocum contraxit, repellere potest per exceptionem Quod metus causa, sicuti bene hic annotauit Imola n. 7. & sumitur ex l. iniuitus 98. ff. de reg. iuris. Cui damus actionem eidem & exceptionem conuenire multo magis quis dixerit: Atqui metu graui adactis ad contrahendum, si soluendo læsi sint, actio conceditur ad repetendum, vt supra dictum: Ergo si necdum soluerunt, contra petentem, extra & intra iudicium, excipere possunt, quod minus soluant. Veruntamen si quis metum iniustum incutiendi iurari se solutorum, tum iuramenti religione obstringitur, nisi eius relaxationem impetret: quam etiam in casu huius c. Pontificem concessisse, existimandum est.

Corollarium II. Si Titius alterum per vim coegit, vt ipsi rem aliquam donaret, tamen si rei ita donatæ dominium acquisierit, tamen in conscientia, etiam ante Iudicis sententiam, obligatus est, vt damnum, quod per vim iniustam intulit, donatori resarciat, adeoque in integrum eum restituat, quantum læsus est. Quod si verò idem Titius alterum coegit, vt tertie personæ v.g. Caio rem donaret, hoc casu multo magis Caius rei donatæ dominium acquireret. Habet verò tunc vim passus duplicem actionem, vnam personalem contra Titium, & hæredes eius, vt resarciat ipsi damnum, seu quantum interest, vim illatam non fuisse: alteram verò habet aduersus Caium donatarium, vel quemuis alium possessorem, ad quem res donata, vel

commodum aliquod peruenit: Et vocatur hæc actio in rem scripta, competens quasi domino, seu vtili actionem vindicationis ex Prætoris æquitate habenti, iuxta l. metum, 9. §. volenti, §. licet, & §. cum autem, ff. hoc tit. & l. 3. l. non interest, 5. C. eod. & videri potest Ioann. Faber & Angelus §. Quadrupli, Instit. de actionibus. Cæterum in conscientie foro, tertia illa persona, videl. Caius si iniuste coactionis particeps non fuit, ad nullam restitutionem obligatur: Neque enim ratione rei possessæ, cum aliena verè non sit, sed propria: neque ratione iniuste acceptionis, cum iniuriæ particeps non sit, vt ponimus.

His adde, Hanc actionem Quod metus causa, eatenus poenalem esse, quia si intra annum (etiamque vtilem) instituat contra eum, qui vim intulit, aut contra alium possessorem, & is restituere cunctatus fuerit, tum in quadruplum condemnandus erit, alioquin in simplum duntaxat, l. Item si, 14. §. hucusque, & seqq. ff. eod.

Porro aliquæ passionis, seu promissiones sunt, quæ speciali iure Ecclesiastico, aut ciuili infirmatæ sunt, ita vt ab initio nullius roboris sint, si grauis, & iniuste incutis metus causa præbuit: Videl. matrimonium, & sponsalia, professio religiosa, de quibus dixi lib. 3. Th. mor. tr. 4. c. 6. n. 3. Ectio Summi Pontificis, vt dixi in qq. de elect. q. 123. Item iurisdictio per vim iniustam ac violentiam grauem impetrata ipso iure nulla est, argum. l. 2. §. Aut si putauerunt, iun. Gl. margin, ff. de iudicijs, & probabiliter docent Gl. hic 7. coactus, Baldus in l. decernimus, 16. §. Sed pone quod Tyrannus, C. de sacros. Ecclesijs, Abb. hic. n. 12. Alium casum habes in Clem. 2. de poenis, & dicam de hoc c. seq. Deniq; absolutio à censura per grauem vim extorta, irrita est, c. vn. eod. tit. in 6.

Alios casus Gl. cit. refert, quos bene hic rejicit Abb. Sed & ipse aliquos ex sua sententia affert, qui rejici possunt: Vt quod promissio à detruso in carcerem ipso iure irrita sit, argum. l. 22. ff. hoc tit. Qui in carcerem quem detrussit, vt ei aliquid extorqueret, quidquid ob hanc causam factum est, nullius

momenti est. Sed Bartol. ibi bene monet, nihil aliud ea lege constitui, nisi quod carcer iustum, atque in constantem virum cadentem metum inferre censendus est. Et Baldus egregiè ibi ait; Quod promissio talis nullius momenti sit, non in se, sed quoad effectum, quia videl. per actionem *Quod metus causa* rescindi, seu in irritum reuocari debet.

Præterea quæ idem Panormit. allegat ex l. 1. §. ult. ff. de auctor. Tutor si inuitus retentus sit per vim, non valet quod agitur. Et ex l. qui testamento, 20. §. ult. ff. Qui testamenta facere possunt: Si detenti sint inuiti testes, non valere testamentum; hoc ad propositum nostrum facere non videtur. Nam in casu priore ad contractum pupilli requiritur, vt consensus seu auctoritas interueniat. Ad consensum autem non sufficit mera corporalis præsentia, vt si quis inuitus per vim in loco detineatur, is non consentit: quia talis coactio omnem consensum tollit, vti dixi lib. 1. tr. 2. c. 6. n. 6. & ita cit. §. explicat ibi Bartol. dicens, posse esse præsentiam sine consensu: Posterior autem calus ideo ad propositum non est: quia in testibus non requiritur consensus; sed tantum præsentis intelligunt, quod agitur: quod fieri potest, etiam si vi detineantur, iuxta l. 209. ff. de verb. signif. Est tamen id speciale in testibus testamentarijs, quod rogati esse debeant, l. hæredes palam, 2. §. In testamentis, ff. Qui testamenta, nec eorum præsentia sufficit, si inuiti detineantur, sicuti optimè annotauit Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 39. in fine. Vide quæ dixi lib. 5. tr. 10. p. 2. c. 4. n. 6.

### CAPITVLVM III.

## Ad aures

### PARAPHRASIS.

Quidam in Plebanum seu Rectorem cuiusdam Ecclesiæ concorditer electus non fuit, vno electore excepto. Sed propter laicorum se opponentium terrorem, electionis iuri renuntiavit. Quæ re intellecta

Clemens III. respondit, nec obstante hac renuntiatione ( dummodò iuramento, vel fide interposità confirmata non fuerit ) electum Ecclesiæ illi, cui renuntiauerat, præfici posse.

### SUMMARIVM.

1. Renuntians iuri ecclesiastica electionis ob grauem metum seu terrorem inuiti nihilominus potest.
  2. Neq; tamen talis renuntiatio ipso iure irrita est, sed irritari à Superiore potest per restitutionem in integrum.
  3. Valet ea renuntiatio coram Superiore facta ipso iure, si electio à Superiore confirmata fuit; restituendus autem est ab ecclesiastico iudice renuntians in integrum.
- Excipiuntur casus extortæ resignationis beneficiorum à dominis temporalibus, si q; viros ecclesiasticos capiant, vt resignationes beneficiorum extorqueant, talis enim resignatio inualida est.
4. Iuratus renuntians iuri electionis obligatur iuramento, pesere tamen potest eius relaxationem, quam etiam iudex non rogatus ex officio facere non prohibetur.

**NOTANDVM I.** Qui iuri ecclesiasticæ electionis renuntiavit ob grauem metum, seu terrorem illatum, non obstante tali renuntiatione, institui potest.

**QVÆRES I.** Vtrum talis renuntiatio per a metum extorta ipso iure irrita sit. Respondet cum Abb. hic n. 2. contra Imolam n. 1. Non esse ipso iure irritam, sed volente eo, qui ita renuntiavit, à Superiore per restitutionem in integrum irritari posse, perinde ac si ab initio nullius momenti fuisset, iuxta ea quæ c. præc. dicta sunt.

**QVÆRES II.** Quid si electio à Superiore confirmata fuerit, censeri debet ipso iure valida renuntiatio, facta coram legitimo Superiore, ob terrorem v. g. laicorum. Respondet ipso iure valere; sed Iudicis Ecclesiastici

## SUMMARIUM.

1. *Iuramentum promissorium est stricta obligationis, ut non amplius obliget, quam secundum strictam verborum interpretationem promissum fuit.*
2. *Qui resignauit beneficium coactus ex metu graui in manibus Superioris v. g. duplici remedio id recuperare potest, intentata scilicet vindicatione vtili, seu actione in rem scripta, vel actione Quod metus causa.*

fiat officio eum, qui ita renuntiauit, in integrum restituendum esse. Ita sumitur ex c. seq. vbi id monet Abb. not. 3. Excipe casum Clem. 2. §. sanè, de pœnis: si Clerici obtinentes dominium temporale viros Ecclesiasticos capiant ac detineant, vt beneficiorum suorum resignationes extorqueant, talis resignatio nullius omnino momenti existit: idque specialiter in hoc casu decretum fuisse, ait Zabar. ibid. cum alioquin quæ graui metu facta sunt, ipso iure valeant: idemque sentit Abb. hic n. 2.

**NOTANDVM II.** Si quis iuri electionis renuntiauit iuratus, quod vid. prælaturam nunquam acceptare, seu nunquam præfici velit, is obligatur iuramento. Nihilominus petere potest relaxationem iuramenti; imò, tamen non petatur, Iudex ex officio suo iuramentum relaxare, & acceptandi facultatem restituere potest, secundum ea, quæ dixi lib. 4. tr. 3. c. 7. n. 2. in fine, & tradit hic Gl. fin. Abb. n. 8. Imola. n. 7. & sumitur ex c. si verò, 8. de iureiur. Cæterum, an, & quomodo fidei interpositio, cuius hic mentio fit, à iuramento differat, clarè explicauit eod. tr. 3. c. 2. n. 2.

## CAPITVLVM IV.

## Ad audientiam.

## PARAPHRASIS.

Magister Guilielmus Rector Ecclesiæ de Cheuellis grauisimo metu per Regem incusso adactus fuit, vt dictam Ecclesiam in manibus eorum, ad quos pertinebat, iuratus resignaret. Hoc intellecto, rescriptit Innocent. III. Cùm ea, quæ vi, metusue causa fiunt, carere debeant robore firmitatis, ideo si constiterit, metum illum grauem fuisse; seu qui potuerit ac debuerit cadere in iram constantem: tum non obstante iuramento, Ecclesiam Guilielmo restituendam esse; quippe cùm vigore eius iuramenti obligatus tantum fuerit ad resignandum; non verò etiam ad non repetendum.

**NOTANDVM Vn.** Iuramentum promissorium, (præsertim si iniquè extortum sit, seu ex parte promissarij turpitudinem contineat) non amplam, sed restrictam obligationem continet; ita videl. vt non amplius obligare censeatur, quam secundum strictam verborum interpretationem promissum fuit. Ita docui lib. 4. tr. 3. c. 7. n. 2. arg. huius c. Cùm enim Guilielmus iurauerit duntaxat se parochiam resignaturum, nõ obstante hoc iuramento, potest parochiam repetere, seu petita restitutionis in integrum actione *Quod metus causa*; seu simplici repetitione, quæ est vindicatio vtilis, seu actio in rem scripta, iuxta ea, quæ supra dixi, & annotauit hic Abb. n. 1. Quod metu graui adactus ad beneficium v. g. in manibus Superioris resignauit, duo remedia habeat ad recuperandum: Primum est, si repetat beneficium, aliamue rem, quam metu cogente tradidit, intentata actione vtili. Ideo autem hæc actio in rem, seu vindicatio vtilis appellatur: quia directum dominium, seu ius in re, quod secundum communia ciuilia, imò & gentium iura ablatum est. Prætor dare non potuit. Alterum verò remedium est actionis quod metus causa, per quam Iudicis officio omnia integrè restituantur, acsi nihil actum fuisset.

**QVÆRES.** Cur in casu prioris c. iuramentum impediabat clericum renuntiantem beneficio, quò minus eidem præfici potuerit, nisi iuramentum à Superiore relaxatum esset. At verò in casu huius c. iuramentum non impedit, quò minus renuntians idem

beneficium petere ac consequi possit. Resp. cum Gl. hic ver. repetendum: Quia electus in priore casu iuravit, se plebaniam illam nunquam acceptaturum. In hoc autem Guilielmus iuravit tantum, se parochiam resignaturum; non autem iuravit, se resignatam non repetiturum. Simile est: Si quis latroni ob mortis metum iuraverit pecunias daturum, datas repetere potest, iuxta c. de bitores, 6. de iureiur. Sin autem iuravit, se daturum, & nunquam repetiturum; tum repetere non potest, nisi prius impetrata ab Episcopo iuramenti relaxatione, quæ tamen concedenda non est, si in contemptum religionis Christianæ cessura videatur; vt si v. g. Turcis, pretium redemptionis iuramento promissum sit.

## CAPITVLVM V.

## Sacris.

## PARAPHRASIS.

Quæsitum erat ex Innoc. III. Vtrum is, qui inuitus communicat cum excommunicato, excommunicationem & ipse contrahat? Respondet, esse distinguendum: Si enim absolute inuitus est, quia patitur proprie dictam coactionem, tum excommunicationem non incurrit: cum non agat voluntarie, sed potius agatur ac patitur. Sin autem inuitus est secundum quid, quia metu mali adigitur ad faciendum, quod alioquin facere nollet. Tum metus minuit quidem culpam; sed quia eam non omnino aufert (cum ob nullum metum liceat mortaliter peccare) ideo existimandum est, ita communicantem cum excommunicato, excommunicationis labe & ipsum inquinari.

## SUMMARIUM.

1. Discrimen inter violentiam seu coactionem, & metus illationem.
2. Qui cum irrisito excommunicatione maiore scienter communicat in crimi-

mine, ob quod excommunicatus ille est, tum & ipse maiorem excommunicationem contrahit; minore autem, si in aliquo negotio cum eo communicet sine iusta causa excusante; & excommunicatus sit non toleratus seu vitandus.

3. Potius omnia mala toleranda, quam peccatum mortale, imò & veniale minimum committendum.
4. Quadam lege positiva prohibita desunt esse peccata, & prohibita ex occurrentibus aliquibus circumstantiis, v. g. crimine carnalis die Veneris facta ex illatione metus grauis, nisi fiat in contemptum religionis.
5. Peccans ob metum ab extrinseco illatum minus delinquit, quam si nullo cogente metu malum agat.

Hoc c. difficultatem mouet interpretibus, propterea quod casus, qui Pontifici propositus erat, hic non exprimitur, sed solum responsio eius. Sufficit itaque ad defendendum hoc c. si casum aliquem proponamus, in quo responsio Innocentij locum habere possit: Aliquis hæreticus populo denuntiatus est vt vitandus: nihilominus publice concionatur, aut sacrificat in Ecclesia; atque clerici v. g. à seculari magistratu in contemptum Fidei, aut potestatis Ecclesiasticæ compelluntur ad assistendum concioni, aut Missæ eius. Quæritur, an excommunicationem & ipsi, saltem minorem, contrahant communicando cum excommunicato denunciato. Respondetur rectè: si per vim, seu coactionem propriè dictam ibi detinentur, non contrahunt excommunicationem: cum enim moralem ac voluntariam actionem non exercent, dici non potest, quod cum excommunicato communicent. Sin autem ob metum magistratus assistant, tunc contrahunt & ipsi excommunicationis labem: siquidem hoc casu metus eos non excusat, quò minus mortaliter peccent, etiam contra ipsam Ecclesiasticam legem, quæ prohibentur communicare cum excommunicato. Tamen enim ordinariè leges Ecclesiasticæ, ipsæque censuræ non obligent cum per-



periculo grauis mali incurrendi; ideoque metus grauis excuset à præceptis, & censuris Ecclesiasticis; non tamen in tali casu, quo directè agitur de defendendo honore Dei, Fidei veritate, aut Ecclesiæ potestate, sicuti docuit lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 4. n. 6. & seqq. & tr. 5. p. 1. c. 5. coroll. 5.

1. NOTANDVM I. Si propriè loquendum sit, discrimen est inter violentiam, seu coactionem, & metus illationem. Nam qui violentiam, seu coactionem patitur, absolute inuitus est; cum non agat ipse, sed agatur: vt si aliquis in loco auribus aut oculis apertis, per vim detineatur, is cogitur adesse, audire, videre. Qui autem metu adactus agit, quodd alioquin non ageret, v. g. vt Missæ, vel concioni assistat, is simpliciter inuitus non est, sed potius volens: Est tamen inuitus secundum quid, seu conditionaliter; nollem, nisi malum maius timerem. Ita hanc rem bene explicat Ioan. Andr. hic n. 15.

2. NOTANDVM II. Qui cum irretito excommunicatione maiore scienter communicat, excommunicationem & ipse contrahit. Sed distinguendum: Vel enim cum excommunicato aliquis communicat in crimine; ob quod excommunicatus est, tum & ipse maiorem excommunicationem contrahet, c. si concubinæ, 55. de sent. excomm. Vel communicat in alijs negotijs sacris, vel politicis, tum minor excommunicatio contrahitur, c. statuius, de sent. excomm. in 6. Opus tamen est ad hanc censuram incurrendam, vt excommunicatus, quocum nulla iusta causa excusatus comunicas, non toleratus seu vitandus sit. Vide quæ dixi lib. 1. Th. mor. tr. 5. p. 2. c. 3.

3. NOTANDVM III. Potius omnia alia mala sustinere debemus, quàm vt peccatum mortale (imò etiam veniale, quantumvis minimum) admittamus, vt dixi lib. 1. tr. 2. c. 6. n. 4. §. Notandum. Verùm quædam non ita intrinsecè ac per se peccata ac prohibita sunt, quin occurrentibus aliquibus circumstantijs, atque hac ipsa metus grauis illatione, desinant esse peccata ac prohibita. Quod maxime in ijs euenit, quæ positiua lege

prohibita sunt, vt carnes die Veneris comedere, cum excommunicatis in sacris, aut politicis negotijs communicare, dummodo id non fiat in Fidei, Religionis, aut potestatis Ecclesiasticæ contemptum, vt supra dixi. Vide Abb. hic n. 5. & quæ dicta sunt lib. 4. Th. mor. tr. 2. c. 8. princ.

NOTANDVM IV. Qui ob metum ab extrinsecò illatum peccat, minus delinquit, quàm si nullo cogente metu malum agat. Vt si quis mortis metu adigatur ad matrimonium cum consanguinea sua non tantum contrahendum, sed etiam consummandum. Quamuis & iste mortaliter peccet, minus tamen, quàm si metus abesset. Quia quod metu fit, minus voluntariè fit, hoc ipso, quod inuoluntarium admixtū habet: consequenter minus peccatum est. Quare & in externo foro mitius puniendus est, qui ob metum delinquit, quàm si sponte, vt Abb. hic monet n. 2.

## CAPITVLVM VI.

## Cùm dilectus.

## PARAPHRASIS.

Canonici in Insulis habitantes votum iuratum ediderunt, quod regulam Cisterciensium assumere, & suam Ecclesiam eidem Ordini incorporari, quantum in ipsis esset, permittere vellent. Postea verò penitentia ducti restitui se, ac liberari petebant, allegantes metum & dolum, quo inducti fue rint ad tale votum, ac iuramentum edendum. Sed Innoc. respondit; eum hoc iuramentum in salutis dispendium non vergat, obseruandum esse; neque permittendum, vt periurijs via aperiat. Neque causam sufficientem adesse restitutionis in integrum: Quod enim metum allegant, constat eum non fuisse mortis, aut corporis cruciatus, vel similem, qui in virū constantem cadat. Quod verò dolo se inductos asserunt, ea non tam circumuentio, quàm fatuitas ipsorum consonda est.

S V M.

## SUMMARIUM.

1. *Iuramentum promissorium erga hominem omnimodè & sine spe relaxationis seruari debet. si sine dispendio salutis æternæ seruari potest, nisi causa iuramenti data fuerit per metum, vel propriè dictam deceptionem.*
2. *Tale iuramentum non debet, & ordinariè non potest relaxari, nisi per plenitudinem potestatis Pontificiæ ex causa grauißima.*
3. *Iuramentum promissorium per metum grauem licet iniuste extortum obliget, non tamen omnimodè & efficaciter, cum relaxatio iuramenti possit impetrari.*
4. *Idem est, si metus leuis fuit incussus ab ipsomet promissario.*
5. *Dolus malus propriè est machinatio quadam ad alterum (prudenter) decipiendum accommodata.*
6. *Homini simplici decepto non succurritur in foro externo, nisi simplicitas & deceptio sit inuincibilis, tum quidem ei succurritur quandoque iudicis officio per restitutionem in integrum, non autem per actionem de dolo.*

**E**tiam iste casus satis explicatus non est: cum in specie non dicatur, quidnam metuerint Canonici, aut quam calliditate inducti fuerint ad votum, & iuramentum. Sed ex responsione Innoc. III. colligitur, metum grauem fuisse, & deceptionem potiùs passiuam, quàm actiuam.

**NOTANDUM** Vn. Iuramentum promissorium erga hominem omnimodè, & sine spe relaxationis seruari debet, si sine dispendio salutis æternæ seruari possit: nisi grauis, metus, aut propriè dicta deceptio causam iurandi præbuerit. Ita etiã habetur in c. 2. de pactis, in 6.

Aduerte autem primò: Quòd sermo sit de iuramento promissorio erga hominem, seu in utilitatem hominis tendens, quale fuit istorum Canoniorum, iurantium Cisterciensibus, quòd eorum regulam assumere, & Ecclesiam suam Ordini adiungere vellent.

Cum enim per tale iuramentum ius homini acquisitum sit, non debet, & ordinariè non potest relaxari, nisi per plenitudinem potestatis Pontificiæ, ex causa grauißima, ut docet Sanchez lib. 3. moral. c. 21. n. 2. & videri possunt, quæ dixi lib. 4. tr. 3. c. 11. n. 5. Quòd si Canonici illi votum, quamuis iuratum, soli Deo concepissent, tum faciliùs dispensationem impetrare potuissent. Quia Deus soluendi ac ligandi potestatem Ecclesiæ concessit, idèoque ius suum remittere censetur, si Pastor Ecclesiæ ita expedire iudicet ad animarum salutem.

Aduerte secundo, quòd dixi; Si iuramentum absque salutis dispendio seruari possit. Nam si iuramentum sit de re illicita, seu de eo, quòd absque peccato impleri nequeat, tum ab initio nullam obligationem habet, uti docui eod. tr. 3. c. 6. n. 1.

Aduerte tertio; Quòd excipitur metus grauis. Id verò non ita intelligi debet, quòd promissorium iuramentum per metum grauem, etiã iniuste extortum non obliget; sed quòd non obliget omni modè, & efficaciter, cum relaxatio iuramenti possit impetrari. Ita habetur in c. si verò, 8. de iureiur. Sed quid dicendum, si metu non graui, sed leui iniuste incusso aliquis inductus sit ad iuramentum promissorium, utrum relaxatio ordinariè (seu extra plenitudinem potestatis Pontificiæ) concedi possit etiã ab Episcopo? Negant Abb. hic n. 10. Felinus c. 2. n. 3. de iureiur. Sanchez lib. 4. de matrim. disp. 20. n. 9. Syl. ver. iuramentum, 4. q. 7. in fine, arg. huius c. & cit. c. si verò, & l. metum, ff. hoc tit. vbi dicitur; Metum accipiendum hic esse non quemuis timorem, sed maioris malitatis.

Nihilominus affirmant Hostiens. & Ioan. Andr. inc. verum, n. 6. ibid. Abb. sibi contrarius, n. 3. Alex. de Neuo. n. 7. & 8. de iureiur. Couar. reg. peccatum, p. 2. §. 3. n. 7. Et hæc sententia mihi placet, si ipsemet promissarius metum iniustum, quamuis leuem incussit, quòd in odium eius, ne ex propria iniquitate commodum ferat, iuramentum à Iudice relaxari possit. Ratio est: Quia cum ius efficax promissario iniusto acquisitum non sit, (in conscientia enim foro læsum in inte-

grum

grum restituere cogitur) consequens est, nullam illi iniuriam fieri, si iuramentum relaxetur.

Ad argum. ex hoc c. desumptum, resp. Non constare, quod in casu huius c. metus aliquis, quamuis leuis, ab ipsis Cisterciensibus Monachis iniuste incussus fuerit, ad extorquendum iuramentum. Ad c. si verò, & l. metum, ff. hoc tit. respond. duabus de causis iure tum civili, tum canonico ponderari, vtrum metus leuis fuerit, an grauis. Prima est: Quia vt promissio per metum extorta rescindi possit, requiritur, vt metus inuoluntarium mixtum effecerit, quia promittens nolisset promittere, nisi coactus fuisset. Id autem facile præsumitur, aut probatur, si metus grauis sit, & cadens in virum constantem. Secunda. Quia metum passio Prætor actionem *Quod metus causa* non impertitur, nisi fuerit grauis, seu iniustus. Interim tamen iudex, etiam sine intentata actione, ex officio suo succurrere potest iniuste læso per metum leuem, vt eum in integrum restituat, relaxato iuramento, sicuti bene docet Alex. de Neuo cit. n. 8. & Gl. hic ver. metum mortis, & docui lib. 3. tr. 4. c. 6. assert. 3. Multo verò magis pro conscientie foro Prælati, v. g. Episcopus iuramentum in tali casu relaxare poterit, ad hunc finem, vt iniustum, quamuis leuem metum passus contra exigentem promissa per exceptionem se defendere possit, sicuti docet Sanchez cit. loco.

5 Aduerte quartò; Quod dolus malus sit machinatio quædam ad alterum decipiendum accommodata, l. 1. §. Dolum, ff. de dolo malo, & Seruius apud Cic. lib. 3. de offic. Cùm verò machinatio, aut operatio quæcumque accommodata non est ad decipiendum prudentes, & cordatos, tam si quispiam decipiatur, non est propriè dolus, sed simplicitas ac fatuitas seipsum decipiētis. Quamobrem tali homini in foro externo non succurritur, vt ex hoc c. colligitur, & notauit hio Abb. n. 2. Imola n. 2.

6 Cæterum si simplicitas, & deceptio inderita in homine sit inuincibilis, tunc credibile est, in foro conscientie ita deceptum defendere se posse: Imò in externo etiam foro

Iudicis quandoque officio succurri per in integrum restitutionem. Etenim plerumque culpâ non vacat, qui cum tali homine contrahit. Sed actioni de dolo (in qua condemnatus infamis efficitur) locus hic non erit, cùm dolus propriè admissus non sit, vt supra dictum.

## CAPITVLVM VLT.

## Super eo.

## PARAPHRASIS.

Si quis per testes legitimè probauerit, se à quibusdam spoliatum esse, rectè faciet Iudex, si spoliato iuramentum facere permittat, quanti res amissas, damnumque suum æstimet, & ad hoc spoliatores condemnet: præcedente tamen taxatione, quæ fieri debet pro personarum, & negotij qualitate.

## SUMMARIVM.

1. Si constet, vel probatum sit, quempiam per vim iniustam esse lesum, quantitas & æstimatio lesionis per iuramentum læsi, prævia iudicis taxatione probari potest.
2. Ad hoc tamen iuramentum non facile deueniendum est, si per testes, etiam domesticos (qui in hoc casu sunt admittendi) probatio haberi potest.
3. Neque locus est iuramento huic veritatis, seu vere æstimationis, si non contra ipsum, qui violentiam intulit, sed contra alium instituat, nec violentie, nec doli participem.
4. Si iuramentum hoc deferendum est à iudice, deferri ab eo id debet audito læso, & prius taxata quantitate.

**N**OTANDVM Vn. Si constet, vel probatum sit, per vim iniustam quippiam ablatum esse, tum quantitas & æstimatio rerum ablatarum per iuramentum læsi, præcedente Iudicis taxatione, probari potest. Et dicitur hoc iuramentum *veritatis* seu *vere æstimationis*, vt dixi lib. 4. tr. 3. c. 5. n. 1. §. alterum.

K k k k k

Sum.

Sumptum autem est hoc c. ex l. si quando, C. Vnde vi; Circa cuius intellectum ex Gl. Bartolo, & alijs hæc aduertenda sunt: I. Ante omnia in iudicio patefactum, aut liquidò probatum esse oportet, violentiam illatam fuisse. Ita habetur in cit. l. iun. Gl. ver. patefacta. Ait tamen Abb. hic, n. 2. etiam per indicia quæ violentiam præsumptionem pariunt, probari posse vim illatam, aut furtum commissum esse, in ordine ad damni illati compensationem, iuxta ea quæ dixi lib. 3. p. 2. c. 2. n. 2. & tr. 6. c. 2. n. 6. aduert. 3.

II. Duabus de causis iuramentum hoc iudiciale præstitum à læso sufficere debet ad probandum res amissas, & æstimationem earum: Videl. *Incipia probationis*, quia aliter id probari non potest: Et *odium delinquentis*, seu vim iniustam inferentis. Ita Gl. communiter recepta in cit. l. ver. manifestet, arg. l. fancimus, 15. C. de Iudicijs.

2. Cæterum si aliter, videl. per testes, etiam domesticos, (quos in tali casu admittendos esse monet Abb. hic, & docui cit. tr. 6. c. 4. num. 4. §. Tertio, & §. quarto) probatio haberi possit, tunc ad iuramentum confugiendum facile non est, ne periurijs via aperiat. Deinde huic iuramento veritatis, seu veræ æstimationis locum non esse arbitratur Bartol. in cit. l. si quando, num. 4. Abb. hic num. 5. Exemplum afferunt: Si non contra ipsum, qui violentiam intulit, sed contra alium instituat, qui violentiæ, aut doli particeps non fuit. Ponamus statutum esse municipale, vt, si quispiam propè ciuitatem spoliatus sit, ipsa ciuitas damnum resarcire cogatur, in defectum spoliatorum. Tum si constet de spoliatione, nesciatur autem quid, vel quantum amissum est, tunc opus erit asserre probationem, saltem semiplenam, quæ accedente iuramento iudiciali complebitur, iuxta l. in bonæ, 3. C. de rebus creditis. Quare si rectè attendimus, hoc tantum discrimen esse videtur in casu, quo odium delinquentis concurrat, & casum, in quo non concurrat; quod in hoc maiora indicia requirantur, vt iuramentum deferri possit: in illo autem casu indicia minora, non autem omnino nõ requirantur, vt i

colligitur in hoc c. iun. Gl. ver. personarum, & l. in actionibus, 5. ff. de in litem iurando, §. Planè.

His adde, quæ hic dicta sunt de ablatijs per violentiam, similiter locum habere in æmissis per furtum, aut quodcumque aliud maleficio; si de factò constet, iuramentum æstimationis deferri posse, ob probationis alterius inopiam, sicuti notauit Gl. in cit. §. planè, in fine, & Gl. in cit. l. cum furti, 9. vers. Tu dic melius, Abb. hic n. 6.

III. Si à iudice deferendum sit iuramentum veræ æstimationis, siue propter illatum damnum ex maleficio, siue propter expensas factas post contumaciam Rei ablentis, iuxta cit. l. fancimus, 15. & c. constitutis, 12. de Procurat. tum Iudex, audito læso, prius taxare debet quantitatem, ac postea deferre iuramentum, videl. vt pars iuret tantum, & non minus damni, aut expensarum factum esse; denique condemnare debet contumacem, aut damnificantem ad restitutionem: Ita vt non in minus condemnet, quàm iuratum fuit. Hæc habentur noiore iure Authent. Post iusiurandum, C. de iudicijs. Ratio est: Quia si post iuramentum Iudex quantitatem taxaret seu minueret, iuramentum peritij argueret. Sin autem Reum in minus condemnaret, quàm post taxationem iuratum fuit, tum sententia eius iniusta foret, nisi euidenter constaret errorem commissum fuisse, vt Innoc. hic docet n. 5. Imola n. 8. §. Et ex hoc apparebit.

Sed alia ratio est de iuramento affectionis; cum sæpe fiat, vt ob eam res pluris æstimetur à possessore suo, quàm reuera valet; ideòque singularis ista affectio à communi & vera æstimatione multum discrepet, ideo Iudex etiam post præstitum iuramentum taxare, atque in minus condemnare potest, quàm iuratum fuit, iuxta l. videamus, 4. §. Item videndum, vbi id Gl. monet, ver. ex magna causa, vers. Tu dicas, ff. de in litem iurando, Imola hic num.

2. & 8.

\* \* \*

## CAPITVLVM VNICVM

cod. Tit. in 6.

## Absolutio.

## PARAPHRASIS.

Si absolutio, aut reuocatio excommunicationis, suspensionis, aut interdicti per vim, aut metum iniuste extorta sit, huius constitutionis auctoritate irrita censi debet. Et qui ita extorquet, ipso facto excommunicationem incurrit.

## SUMMARIVM.

1. Excommunicatus vnâ excommunicatione iterum ex alia causa excommunicari potest.
2. Si sententia censura fuerit inualide lata, non est locus huic constitutioni.
3. Locus autem ei est etiam in casu, quo quis absolutioem à minore excommunicatione per vim extorquet.

**NOTANDVM I.** Iste est casus specialis, in quo acta per metum (intellige grauem, secundum Gl. hinc communiter receptam, Suarez de censur. disp. 23. sect. 4. num. 11. contra Caiet. in summa ver. excommun. cap. 41.) ipso iure irrita sunt, cum alioquin acta per metum rescindi debeant. Ita Gl. hinc communiter recepta, ver. absolutioem beneficium, Suarez de censur. disp. 7. sect. 6. n. 13.

**NOTANDVM II.** Excommunicatus

vnâ excommunicatione, iterum ex alia causa excommunicari potest. Ita colligitur ex hoc c. & tradit Gl. hinc, ver. excommunicationis, Gl. in c. vlt. causa 3. q. 4. ver. anathemate.

**QVÆRITVR primò;** Quid significetur per reuocationem excommunicationis metu extortam. Resp. Hoc verbum videtur esse adiectum contra illos, qui se iniuste excommunicatos, suspensos, aut interdictos esse contendunt, & ideo vi extorquent à suis excommunicatoribus, &c. vt sententiam suam, tanquam perperam latam reuocent.

Cæterum, si sententia censuræ inualide lata fuisset, & non tantum iniuste, tum non videtur esse locus huic constitutioni, sicuti bene docet Suarez cit. sect. 4. n. 12. Cum enim ea pœnalis sit, intelligi debet secundum effectum; si videl. aliquis per vim extorquet censuræ alicuius absolutioem, aut reuocationem. Si autem inualida, seu nulla censura sit, tum non extorquetur absolutio, aut reuocatio alicuius censuræ.

**QVÆRITVR secundò:** Vtrum constitutio hæc locum habeat, si quis absolutioem à minore excommunicatione per vim extorquet. Affirmandum est cum Geminiano in fine huius c. Suarez cit. disp. 7. sect. 6. n. 13. qui ait esse communem sententiam. Apparet enim propositum fuisse Pontifice extorsionem cuiuscunque absolutioem, aut reuocationis censuræ irritam, & pœnæ canonicæ obnoxiam reddere. Accedit, quod hæc constitutio potius fauorabilis, quam odiosa sit; ideoque potius amplianda; cum principaliter attendat ad defensionem potestatis Ecclesiasticæ contra iniquos violatores.

